



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

36 De seruitutibus realibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**



panam super tectum, quod pulsatur ad Missarum sacrificia, & diuina petenda, locus sacer haberi debet. Item si per clericos administrari consueverit, vel per laicos, sed non nisi Episcopi consensu requisito, tum etiam si habuerit ceterum. Idem iuris est de oratorio. *Archidiacon. cap. Nemo consec. Dist. 1.* In dubio tamen censetur sacer locus, ut notat Siluester verbi Hospitale, *mem. 22. quæst. 9.*

Quinto quaeritur, An sit censendus locus sacer is, in quo est necinarum, & oblationum receptio, & fons baptismalis? Respondeo cum Hostiensis, & Ioanne Andrea in *cap. Quia nonnulli, de Cleric. non resid.* & Glossa in *Clem. Quia contingit de Religios. domib.* ex his Ecclesiam non censeri parochialem, quia possunt hæc conuenire alicui Capellæ, vel Ecclesiæ consensu Episcopi, at vero locum sacrum ex his argui.

Sexto quaeritur, Quid dicendum, quando plures adsunt circumstantiæ, An locus debeat haberi tanquam sacer, non tanquam profanus ex pluribus circumstantiis, an verò ex paucioribus? Respondeo cum Archidiacono in *loco supra allegato.* Quando plures adsunt circumstantiæ tam ex vna parte, quam ex altera, esse iudicandum ex pluribus: quando verò circumstantiæ sunt pates, est ex grauioribus iudicandum. Vnde hospitalis domus, non eo ipso locus profanus censetur, quo campanile non habeat supra tectum, vel quod vocetur nomine alicuius laici, & non alicuius, qui sit in sanctorum numerum relatus, vel quod per laicos consecratur, vel administratur, si reuera per clericos auctoritate Episcopi spiritualia gubernentur, & quotidie Missarum sacrificia celebrentur, aut si cimiterium, vel campanile ad diuina habeat.

Septimo quaeritur, Quæ res apud Romanos iure civili erant sacre? Respondeo illas, quas quisque sua, & primata auctoritate pijs vrbibus dedicabat, vt si sepulchrum conderet. *l. 2. de Religios. Et sumpt. fune. Et Instit. de Rerum diuis. Rel. giosum locum.* At vero apud Christianos reig. osus locus non habetur, nisi fuerit Episcopi auctoritate constitutus, *cap. Abolens, de sepulch.* Vnde apud nos Religiosæ domus eadem sunt quæ sacre, vt constat ex iure canonico. *Tit. de Religios. domib.* Veteres id quod propter sanctitatem aliquam remouit, ac sepositum erat a nobis, religiosum vocabant, quasi sanctitate quadam venerandum: quemadmodum Cicero contra Verrem, religiosa delubra vocat, quod maiestas, ac venerationis sint plena: & apud Romanos lege Decemvitali, non licuit aliter quam extra ciuitatem mortuum sepelire. In vrbe enim locuste publico sepulchrum condere. *l. 2. Tabulis,* aliisque legibus veritum fuit. Ille quoque locus apud eosdem religiosus fiebat, vbi cremandum esset corpus, & in iura tracta gleba; nõ autem totus, qui sepulture destinatus esset, locus religiosus reddebatur, sed quatenus corpus humanum erat. *l. 1. Sepulchrum. ff. de Religios. Et sumpt. fune.*

Octauo quaeritur, Quæ res sanctæ dicantur in iure communi? Sanctæ res in iure civili dicuntur, quæ ab iniurijs hominum defenduntur, & munitæ sunt. *l. Sanctum est. ff. de Rerum diuis. Et Instit. de Rerum diuis. Sancta.* Vnde apud Romanos portæ Vrbs, & muri ciuitatis sancti habebantur, quia sanctione quadam, & præcepto legali roborabantur ne violarentur. Adeo, vt portas Vrbs rumpens, vel scalis admotis, vel alia quavis ratione muros transcendens, capitali poena plecteretur. *l. Vlt. ff. De Rerum diuis.* Sic & legati sancti habebantur, quia sacrilegium erat legatos iniuria afficere. *l. Si quis legatum. ff. de legat.* Et ex leges quibus poena constituitur aduersus eos qui contra fecerint, propriæ sanctiones vocantur, quasi ita munitæ sint auctoritate publica, vt violari non possint.

Nono quaeritur, Quo modo diuidantur, quæ humani iuris sunt? Res humani iuris, primò aut sunt publicæ, aut priuatae, aut nullius. *l. 2. ff. de Rer. diuis.*

Publicæ res aut sunt communes hominum, aut sunt vniuersitatis. *l. 1. et 2. ff. de Rer. diuis. l. 1. Saera loca. ff. De Rer. diuis.* Communes sunt omnium naturali iure, atque aqua profiuens, mare, & litora maris: nemo enim ad litus maris accedere pro-

hibetur, dum tamen à villis, seu casis, vbi retia siccantur, fructusque reponuntur, & à munimentis, & à ædificijs abstineat: flumina item omnia, & portus, communia sunt, ideoque ius piscandi omnibus commune est in portub. & fluminibus. *Instit. de Rer. diuis. ff. Flumina.* Riparum quoque vsus publicus est, & communis: Ita nauis eo appellere, funes arboribus ibi nauis religere, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen nauigare, quamuis proprietates earum arborum illorum sit, quorum prædijs herent, ac proinde ipsarum arborum fructus, eorundem sunt, quorum sunt, & prædia. Vniuersitatis res sunt, non singulorum; quæ in ciuitatibus sunt, theatra, stadia, & quidquid ad ornatum, honorem, decoremque ciuitatis pertinet, vt si quid ad ludos scenicos & spectacula publica relicta sit. Sunt etiam vniuersitatis aurifodinae, vel argentifodinae, vel salinae alicuius ciuitatis. Publica item vectigalia; Vectigal autem est, quod pro rebus in ciuitatem inuectis, vel euectis soluitur, & erat octaua pars. *l. Ex præstatione. C. de Vectigal.* Sunt etiam fundi vectigales, & peculia seruatorum, & ciuitatum.

Singulorum verò sunt, quæ varijs ex causis singulis sunt acquirunt.

### De Seruitutibus Realibus.

#### CAPIT. XXXVI.

**E**TIAMVS de vsufructu, vsu, & Habitatione: quæ dicuntur seruitutes personarum. *l. 1. ff. de Seruitutibus.* quia debentur personis, quamuis ex rebus. Consequens est, vt tractemus de seruitutibus rerum, quæ debentur rebus, non personis, quales sunt seruitutes vrbianorum, vel rusticorum, prædiorum. *l. 2. ff. de seruitutibus.* de quibus agitur in toto libro octauo Digestorum, per sex titulos.

Primo quaeritur, Quot sint genera seruitutum realium? Respondeo, duo genera esse: Aut enim sunt seruitutes, quæ consistunt in solo, aut in superficie. *l. Seruitutes. ff. de Seruitutibus.* Seruitutes soli dicuntur rustice, siue rusticorum prædiorum. Seruitutes superficiei dicuntur vrbanae, siue prædiorum vrbianorum. *l. Seruitutes quæ. ff. de Seruitutibus. vrbana. prædio.* Vrbianum prædium materia dicitur, nõ solum. *l. Vrbianum prædium. ff. de Verbo. signific. Et l. Si prædium. C. de Prædijs minoribus.* Vrbana igitur prædia, sunt ædificia causa habitandi constructa, siue in vicis, vel ubi loco extra vrbem; siue in vrbe sint sita. *l. Vrbana prædia. ff. de Verbo. signific. Dicuntur Vrbana prædia stabula conuincta ædificijs ad habitandum constructis: nam si conuincta nõ sint, cum rusticis prædijs recensentur.* Vrbana igitur seruitutes sunt, quæ vrbanis ædificijs adherent. *l. 1. ff. Prædiorum. ff. Communia prædiorum.* hoc est, quæ debentur prædijs vrbanis, siue ab vrbano, siue a rustico prædio. Rusticæ seruitutes sunt, quæ inherant rusticis prædijs, hoc est, quæ debentur prædijs rusticis, siue ab vrbano, siue a rustico prædio. *l. 2. ff. Communia prædio.* Omnes itidem seruitutes rustice in affirmatiuis consistunt, vt via, iter, actus, aqua ductus. *l. 1. ff. de Seruitutibus Vrbana. præd.* Vrbanae seruitutes in affirmatiuis, vel negatiuis consistunt, vt ius altius tollendi ædificium, vel non tollendi; stillicidium auertendi, vel non auertendi. *Glossa in l. 1. ff. de Seruitutibus. vrbana. præd.*

Secundo quaeritur, Quot sint seruitutes vrbanae? Respondeo, sex, vel septem, videlicet, quæ sequuntur: seruitus oneris ferendi, tigni immittendi, stillicidium, vel flumen auertendi, vel non auertendi: ius altius tollendi ædificium, vel non tollendi: ius officendi luminibus, vel aspectui alicuius, seruitus proieciendi, vel eiciendi aquam, vel quisquilias in aream, vel hortum vicinam.

Tertio quaeritur, Quæ nam sint rusticæ seruitutes? Respondeo, eas esse, quæ sequuntur: iter, actus, via, aqueductus, aque haustus, appulsus pecoris ad aquam, ius piscandi pecudes, calcis coquenda, creta, vel arena fodienda. *l. 1. ff. de Seruit. rusticæ. præd.*

Quarto



Quarto queritur, In quo consistat urbana seruitus oneris ferendi? Respondeo, in sustinendo onera vicini, cum quis habet aedes, quae debent columnam, vel parietem ad onus vicini ferendum. Nam is cuius aedificium iure superius, potest supra suam aedificium onus imponere, dummodo inferiora aedificia grauiori seruitute non oneret, quam pati debeant. *l. Cuius. ff. de Seruitutibus. urbano. pradio.* Et ideo actio ratione huius seruitutis competit, ut qui debet, onera ferat, & reficiat aedificium eo modo, qui in seruitute imposita comprehensus est: & potest cogi ut faciat deteriorem quam debeat, aut operis noui nunciacione prohiberi, si deteriorem fecerit. Is itidem, cuius aedificium, & seruitus debetur, potest petere, si non reficiatur paries, vel si opere non competenti adificetur quanti sua interest, eo quod vicini opera non sustineat. *l. Et si forte. §. Modus. Et §. Venimus. Et §. Fructus. ff. de Seruitutibus. vindex. ceter.*

Quinto queritur, Quid sit seruitus urbana, tigni immittendi? Respondeo, esse ius quo quis potest tignum immittere in parietem vicini: alioqui enim iure communi nemini licet immittere. *§. Pradiorum. ff. de Seruitutibus. urbano. pradio.* De hac seruitute fit mentio, *ff. de Seruitutibus. urbano. pradio. Et in l. Malum. §. a. ff. de Verbo significat.* Et cum tigni appellatio late pateat. *l. Tigni. ff. de Verbo significat.* hic duntaxat accipitur pro trabibus, quando alicui ius liberum est immittendi trabes suas in parietem vicini.

Sexto queritur, Quae sit seruitus urbana auertendi stillicidium? Respondeo, esse ius, quo licet alicui stillicidium domus sit in domum, vel aream vicini auertere. *l. Pradiorum. ff. de Seruitutibus. rustico. pradio. Et in l. ff. de Seruitutibus. urbano. pradio.* Porro stillicidium dicitur, cum ex tecto aqua stillat, vel guttatim decidit. Seruitus autem stillicidii non auertendi, est ius, quo vicino non licet facere, quin stillicidium suum in domum, vel aream vicini deluatur, quo is forte opus habet ad cisternam suam replendam. *Bartolus in l. ff. de Seruitutibus. urbano. pradio.* Et proinde is, cui haec seruitus debetur, agere potest contra Dominum aedium, quae talem seruitutem debent, ut regulas, canalesque reficiat suis impensis, ex quibus stillicidium decidat, quo vel laeatur pauimentum suae areae, vel cisterna sua repleatur, vel hortus, aut viridarium suum irrigetur.

Septimo queritur, Quanam sit seruitus urbana altius tollendi aedificium? Quidam putant non esse seruitutem, sed potius libertatem, ut *Glossa in l. ff. de Seruitutibus urbano. pradio. Et Zasius ibidem.* Sed dicendum est, aliquando esse seruitutem, videlicet, quando necessitas incumbit vicino altius tollendi aedificium, quia altius aedes suas tollere cogitur, ne in domum meam prospiciatur, cum forte subsidat, aut depressa sit, aut ne domus mea vento exposita laedatur.

Octauo queritur, Quanam sit seruitus negatiua altius non tollendi? Respondeo, eam esse, per quam prohibetur quis domum suam inuito vicino altius tollere. *l. ff. de Seruitutibus urbano. pradio. Et l. Altius. C. de Seruitute. Et aqua.* Viridaria tamen habere supra eam altitudinem is, cuius domus seruitutem debet, nemo prohibetur. *l. Aedificia. ff. de Seruitutibus. urbano. pradio.*

Demo, Quae sit seruitus affirmatiua luminum? Respondeo, esse eam, qua vicinus sui vicini lumina excipere iure competitur. *l. Luminum. ff. de Seruitutibus urbano. pradio.* Unde is, cuius aedibus haec seruitus debetur, potest vnam, aut plures fenestras aperire, per quas lumen in vicini area excipiat.

Vndecimo queritur, Quae nam sit seruitus prospectus? Ea est, qua quis vicino claritatem prestare cogitur aperta fenestra, vel aliquo foramine. *Azo in summa. C. de Seruitutibus. vbi ponit differentiam inter seruitutem luminum, & seruitutem prospectus.*

Duodecimo queritur, Quae sit seruitus proijciendi, vel protegendi? Quidam putant esse duas seruitutes, vnam

proijciendi, alteram protegendi. Sed reuera est vna, & eadem seruitus, videlicet ius, quo licet alicui aedes suas protegere, siue exporrige in macianis, seu podis pensibilibus protectum. Dicitur locus in domibus surrectus vnde spectare licet, a protegendo, id est, porro tegendo, siue tectum obijciendo, id enim protegere est. Secundum alios proiecta sunt tecta, quae habentur in domibus transiendi, vel prospiciendi gratia.

Decimotertio queritur, Quae nam sit seruitus negatiua, ne prospecti officiat? est ea, qua quis prohibetur quidquam facere, quo vicina aedificia ad gratiorem, & liberiorem prospectum impediuntur. *l. Inter seruitutes. ff. de Seruitutibus urbano. pradio.*

Decimoquarto queritur, Quae sint seruitutes rusticorum praediorum? Rustica praedia vocantur, quae vel percipiendorum, vel colligendorum fructuum gratia sunt, non habitandi. *l. Eo iure. §. stabula. ff. In quibus causis pigrius, vel hypotheca.* Seruitutes rusticae, vel sunt nominatae, vel innominatae: Nominatae dicuntur, quae iure speciale nomen habent. Et sunt quatuor: Iter, actus, via, aqua ductus. Iter, est ius eundi, vel ambulandi hominis, non autem iumentum agendi, vel vehiculum, aut plaustrum trahendi per fundum alicuius. *l. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.* Seruitus igitur iteris est, cum ager, vel fundus alicuius multi iter debet, ita ut possim per eum transire, vel ambulare: & is, cui est ius itinens, potest vel equo portari, vel biga, quadriga vehi. *Glossa in l. Qui sella. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.* Sed in ea lege non tam clare habetur id, quod dicit Glossa de biga, aut quadriga: solum dicitur, Qui sella, videlicet curuli, quia Romani magistratus olim vehi solebant: qui lectica vehitur, ire, non agere dicitur. Et in *l. Inter actum. ff. Eod. Tit. legimus:* [Iter est, qua quis eques vel pedes commigrare potest. Actus vero, vbi, & armenta trajicere, & vehiculum ducere licet.] Actus, est ius eundi, vel ambulandi hominis, agendi iumentum, & vehiculum trahendi. *l. Qui sella. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.*

Via, est ius eundi hominis, iumentum agendi, plaustrum ducendi trabem, tignum, vel lapidem trahendi, & rectam hastam deferendi: modo fructus non laedatis, qui tale ius habet. *l. Qui sellam. ff. de Seruitutibus rustico. pradio. vltimo. Qui viam.*

Aqua ductus est ius aquae ducendae per fundum alienum ad vtilitatem praedij mei rustici. *l. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.* Quod ius potest constitui tum in aqua inuenienda, tum in aqua iam inuenta deducenda. *l. Labro. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.*

Rusticae seruitutes innominatae dicuntur, quae nomen habent ab ipso actu, & sunt quinque: pecoris pascendi, appulsus ad aquam, haustus aquae, calcis coquendae, arenae fodendae.

Ius pecoris pascendi, est ius pascendi pecoris mei in fundo alieno. *l. Seruitutes. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.*

Ius appulsus ad aquam, est ius, quo mihi licet pecora agri mei ad fontem, vel riuum agere, vel ad praedium vicini. *Azo in sum. C. de Seruitutibus.*

Aquae haustus, est ius, quo mihi licet aquam acquirere, seu haurire de fonte, vel puteo vicini. *Azo in loco praedicti allegato.* Vnde is, cui debetur haec seruitus, eo ipso intelligitur habere iter.

Ius calcis coquendae, est ius, quo licet alicui calcem coquere in fundo vicini ad vtilitatem sui praedij rustici. *l. 1. In praedij. Et l. Ergo. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.*

Ius arenae fodendae, est ius, quo mihi licet ad vtilitatem mei praedij arenam excodere e fundo vicini. *l. §. In praedij. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.* Adde etiam ius cretae, seu argillae fodendae, & lapidis excidendi: quae seruitutes, earene constitui possunt, quatenus opus sit ad rusticum praedium, cuius gratia constituitur. *l. Ergo. Et lege sequenti. ff. de Seruitutibus rustico. pradio.*